

fecisse, eundem Gainum ante suam fecit venire presentiam, quem iuramento dicendi veritatem cogit. Qui ut in regis curia erat potentissimus et vir magne audacie et superbie, nil timens, prodicionem et ea que superius leguntur fecisse et nequitiam et perfidiam suam in christianorum ruinam adhuc exercere cupiens coram omnibus aperuit et narravit. Cumque Carlus rex de eodem Gaino vindictam de tam pessimo et crudeli facto sumere¹ proposuisset, idem Gainus iram regis timens ad regis Saracenorum expeditionem iter suum direxit. Audiens hec Carlus rex, ira et dolore commotus, dolens et gemens de his que acciderant, cepit graviter condolere pariter et de suorum nece flere amarissime. Prospicientes christiani gentem Saracenorum, que in quantum poterat proficisci properabat, habito quidem a Carlo consilio principum et virorum nobilium, ipsos persequi velociter proposuit. Dum itaque eos persequeretur, levavit Carlus manus ad celum dicens: 'Domine Iesu Christe, qui in cruce pro nobis pendisti et nos de sancto tuo sanguine redemisti, passionem quidem et mortem pro nobis *f. 54^a. peccatoribus recepisti, qui es creator *et gubernator omnium rerum, ultor² omnium malorum, cui nil est secretum, nil absconsum, corda hominum cognoscens³, qui es verus et iustus iudex, extende nobis per tuam sanctam gratiam et misericordiam hanc diem, et noctem presentem per tuam sanctissimam virtutem in diem⁴ converti debeas, ut ipsos Saracenos perfidos et crudeles in nostra possimus habere virtute, ut ad rectam et veram fidem divina potentia et nostra virtute valeant pervenire'. Qua oratione facta, accedit⁵ divina maiestate, quod dominus noster Iesus Christus diem extendit, noctem vero in christianorum exercitu in diem convertit. Quod miraculum ab omnibus christianis [visum⁶ est], laudes et gratias domino nostro Iesu Christo referentes. Die appropinquante ex inproviso et excogitato prope Saracenorum castra sua finxerunt tentoria. Videntes Saraceni christianorum exercitum, quem etiam in Ronchivalia adhuc esse minime credebant, plurimum turbati nimioque pavore perterriti, terga vertentes per montes et colles, valles et nemora et silvas fugam ceperunt; quos christiani insequentes, magnam multitudinem Saracenorum⁷ interfecerunt, innumerabiles de eis ceperunt et habuerunt, alios etiam per montes et nemora et silvas fugaverunt. Marsilius autem rex eorum cum parte illorum in Pampilunam civitatem intravit et ibidem cum omnibus se exclusit. Carlus vero christianorum rex, collectis Saracenis qui capti erant, ad illam civitatem ex-

1) 'submittere' Hs. 2) 'cultor' Hs.; vgl. oben S. 263. 3) 'cognoscitis' Hs.; vgl. oben S. 293. 4) 'fidem' Hs. 5) 'accedere' für 'accidere' steht öfter oben S. 339, f. 31^b. 6) Habe ich ergänzt. Vielleicht ist noch mehr in der Hs. ausgefallen. 7) 'christianorum' Hs.